BOECE CONSOLATIO PHILOSOPHIAE (899 vers)

CARMINA

LIBER I_CARMEN 1

C1_1 v.1 Carmina qui quondam studio florente peregi,
2 flebilis heu maestos cogor inire modos.
3 Ecce mihi lacerae dictant scribenda Camenae
4 et veris elegi fletibus ora rigant.
5 Has saltem nullus potuit pervincere terror,
6 ne nostrum comites prosequerentur iter.
7 Gloria felicis olim viridisque juventae,
8 solantur maesti nunc mea fata senis.
9 Venit enim properata malis inopina senectus
10 et dolor aetatem jussit inesse suam.
11 Intempestivi funduntur vertice cani
12 et tremit effeto corpore laxa cutis.
13 Mors hominum felix, quae se nec dulcibus annis
14 inserit et maestis saepe vocata venit.
15 Eheu, quam surda miseros avertitur aure
16 et flentes oculos claudere saeva negat !
17 Dum levibus male fida bonis fortuna faveret
18 paene caput tristis merserat hora meum ;
19 nunc quia fallacem mutavit nubila vultum
20 protrahit ingratas impia vita moras.
21 Quid me felicem totiens jactastis, amici ?
22 Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

LIBER I_CARMEN 2

C1_2 v.1 Heu, quam praecipiti mersa profundo
2 mens hebet et propria luce relicta
3 tendit in externas ire tenebras
4 terrenis quotiens flatibus aucta
5 crescit in immensum noxia cura !
6 Hic quondam caelo liber aperto
7 suetus in aetherios ire meatus
8 cernebat rosei lumina solis,
9 visebat gelidae sidera lunae
10 et quaecumque vagos stella recursus
11 exercet varios flexa per orbes
12 comprensam numeris victor habebat ;
13 quin etiam causas unde sonora
14 flamina sollicitent aequora ponti,
15 quis volvat stabilem spiritus orbem
16 vel cur hesperias sidus in undas
17 casurum rutilo surgat ab ortu,
18 quid veris placidas temperet horas
19 ut terram roseis floribus ornet,
20 quis dedit ut pleno fertilis anno
21 autumnus gravidis influat uvis
22 rimari solitus atque latentis
23 naturae varias reddere causas :
24 nunc jacet effeto lumine mentis

et pressus gravibus colla catenis
declivem que gerens pondere vultum
cogitur, heu, stolidam cernere terram.

### LIBER I_CARMEN 3

C1_3 Tunc me discussa liquerunt nocte tenebrae
luminibusque prior rediit vigor,
ut cum praecipiti glomerantur sidera Coro
nimbosisque polus stetit imbribus
sol latet ac nondum caelo venientibus astris
desuper in terram nox funditur ;
hanc si Threicio Boreas emissus ab antro
verberet et clausum reseret diem
emicat et subito vibratus lumine Phoebus
mirantes oculos radiis ferit.

### LIBER I_CARMEN 4

C1_4 Quisquis composito serenus aevo
fatum sub pedibus egit superbum
fortunamque tuens utramque rectus
invictum potuit tenere vultum,
non illum rabies minaeque ponti
versum funditus excitantis aestum
nec ruptis quotiens vagus caminis
torquet fumificos Vesaevus ignes
aut celsas soliti ferire turres
ardentis via fulminis movebit.
Quid tantum miseri saevos tyrannos
mirantur sine viribus furentes ?
Nec speres aliquid nec extimescas,
exarmaveris impotentis iram.
At quisquis trepidus pavet vel optat,
quod non sit stabilis suique juris,
abjecit clipeum locoque motus
nectit qua valeat trahi catenam.

### LIBER I_CARMEN 5

C1_5 O stelliferi conditor orbis,
qui perpetuo nixus solio
rapido caelum turbine versas
legemque pati sidera cogis,
ut nunc pleno lucida cornu
totis fratris obvia flammis
condat stellas luna minores,
nunc obscuro pallida cornu
Phoebo propior lumina perdat
et qui primae tempore noctis
agit algentes Hesperos ortus
solitas iterum mutet habenas
Phoebi pallens Lucifer ortu.
Tu frondifluae frigore brumae
stringis lucem breviore mora,
tu cum fervida venerit aestas
agiles nocti dividis horas.
Tua vis varium temperat annum,
ut quas Boreae spiritus aufert
revehat mites Zephyrus frondes,
quaeque Arcturus semina vidit
Sirius altas urat segetes :
nihil antiqua lege solutum
linquit propriae stationis opus.

Omnia certo fine gubernans
hominum solos respuis actus
merito rector cohibere modo.
Nam cur tantas lubrica versat
Fortuna vices ? Premit insontes
debita sceleri noxia poena,
at perversi resident celso
mores solio sanctaque calcant
injusta vice colla nocentes .
Latet obscuris condita virtus
clara tenebris justusque tulit
      crimen iniqui !
Nil perjuria, nil nocet ipsis
fraus mendaci compta colore.
Sed cum libuit viribus uti,
quos innumeri metuunt populi
summos gaudent subdere reges.
O jam miseras respice terras,
quisquis rerum foedera nectis !
Operis tanti pars non vilis
homines quatimur fortunae salo.
Rapidos, rector, comprime fluctus
et quo caelum regis immensum
firma stabiles foedere terras.

## LIBER I_CARMEN 6

C1_6
Cum Phoebi radiis grave
cancri sidus inaestuat,
tum qui larga negantibus
sulcis semina credidit
elusus Cereris fide
quernas pergat ad arbores.
Numquam purpureum nemus
lecturus violas petas
cum saevis Aquilonibus
stridens campus inhorruit ;
nec quaeras avida manu
vernos stringere palmites
uvis si libeat frui ;
autumno potius sua
Bacchus munera contulit .
Signat tempora propriis
aptans officiis deus
nec quas ipse coercuit
misceri patitur vices.
Sic quod praecipiti via
certum deserit ordinem
laetos non habet exitus.

## LIBER I_CARMEN 7

C1_7
Nubibus atris
condita nullum
fundere possunt
sidera lumen.
Si mare volvens
turbidus Auster
misceat aestum,
vitrea dudum
parque serenis
unda diebus
mox resoluto

sordida caeno
visibus obstat,
quique vagatur
montibus altis
defluus amnis,
saepe resistit
rupe soluti
obice saxi.
Tu quoque, si vis
lumine claro
cernere verum,
tramite recto
carpere callem :
gaudia pelle,
pelle timorem
spemque fugato
nec dolor adsit.
Nubila mens est
vinctaque frenis.

## LIBER II_CARMEN 1

C2_1
Haec cum superba verterit vices dextra,
et aestuantis more fertur Euripi,
dudum tremendos saeva proterit reges
humilemque victi sublevat fallax vultum.
Non illa miseros audit aut curat fletus
ultroque gemitus, dura quos fecit, ridet.
Sic illa ludit, sic suas probat vires
magnumque tristis monstrat ostentum, si quis
visatur una stratus ac felix hora.

## LIBER II_CARMEN 2

C2_2
Si quantas rapidis flatibus incitus
pontus versat harenas
aut quot stelliferis edita noctibus
caelo sidera fulgent,
tantas fundat opes nec retrahat manum
pleno Copia cornu,
humanum miseras haud ideo genus
cesset flere querelas.
Quamvis vota libens excipiat deus
multi prodigus auri
et claris avidos ornet honoribus,
nil jam parta videntur,
sed quaesita vorans saeva rapacitas
alios pandit hiatus.
Quae jam praecipitem frena cupidinem
certo fine retentent,
largis cum potius muneribus fluens
sitis ardet habendi ?
Numquam dives agit qui trepidus gemens
sese credit egentem.

## LIBER II_CARMEN 3

C2_3
Cum polo Phoebus roseis quadrigis

lucem spargere coeperit,
pallet albentes hebetata vultus
flammis stella prementibus.
Cum nemus flatu Zephyri tepentis
vernis inrubuit rosis,
spiret insanum nebulosus Auster,
jam spinis abeat decus.
Saepe tranquillo radiat sereno
immotis mare fluctibus,
saepe ferventes Aquilo procellas
verso concitat aequore.
Rara si constat sua forma mundo,
si tantas variat vices,
crede fortunis hominum caducis,
bonis crede fugacibus !
Constat aeterna positumque lege est
ut constet genitum nihil.

### LIBER II_CARMEN 4

C2_4 v.1
Quisquis volet perennem
cautus ponere sedem
stabilisque nec sonori
sterni flatibus Euri
et fluctibus minantem
curat spernere pontum,
montis cacumen alti,
bibulas vitet harenas.
Illud protervus Auster
totis viribus urguet,
hae pendulum solutae
pondus ferre recusant.
Fugiens periculosam
sortem sedis amoenae
humili domum memento
certus figere saxo.
Quamvis tonet ruinis
miscens aequora ventus,
tu conditus quieti
felix robore valli,
duces serenus aevum
ridens aetheris iras.

### LIBER II_CARMEN 5

C2_5 v.1
Felix nimium prior aetas
contenta fidelibus arvis
nec inerti perdita luxu,
facili quae sera solebat
jejunia solvere glande.
Non Bacchica munera norant
liquido confundere melle
nec lucida vellera Serum
Tyrio miscere veneno.
Somnos dabat herba salubres,
potum quoque lubricus amnis,
umbras altissima pinus.
Nondum maris alta secabat
nec mercibus undique lectis
nova litora viderat hospes.
Tunc classica saeva tacebant
odiis neque fusus acerbis
cruor horrida tinxerat arva.

19 Quid enim furor hosticus ulla
20 vellet prior arma movere,
21 cum vulnera saeva viderent
22 nec praemia sanguinis ulla ?
23 Utinam modo nostra redirent
24 in mores tempora priscos !
25 Sed saevior ignibus Aetnae
26 fervens amor ardet habendi.
27 Heu, primus quis fuit ille
28 auri qui pondera tecti
29 gemmasque latere volentes
30 pretiosa pericula fodit ?

### LIBER II_CARMEN 6

C2_6 v.1 Novimus quantas dederit ruinas
2 urbe flammata patribusque caesis
3 fratre qui quondam ferus interempto
4 matris effuso maduit cruore
5 corpus et visu gelidum pererrans
6 ora non tinxit lacrimis, sed esse
7 censor exstincti potuit decoris.
8 Hic tamen sceptro populos regebat
9 quos videt condens radios sub undas
10 Phoebus, extremo veniens ab ortu,
11 quos premunt septem gelidi triones,
12 quos Notus sicco violentus aestu
13 torret ardentes recoquens harenas.
14 Celsa num tandem valuit potestas
15 vertere pravi rabiem Neronis ?
16 Heu gravem sortem, quotiens iniquus
17 additur saevo gladius veneno !

### LIBER II_CARMEN 7

C2_7 v.1 Quicumque solam mente praecipiti petit
2    summumque credit gloriam,
3 late patentes aetheris cernat plagas
4    artumque terrarum situm.
5 Brevem replere non valentis ambitum
6    pudebit aucti nominis.
7 Quid, o superbi, colla mortali jugo
8    frustra levari gestiunt ?
9 Licet remotos fama per populos means
10    diffusa linguas explicet
11 et magna titulis fulgeat claris domus,
12    mors spernit altam gloriam,
13 involvit humile pariter et celsum caput
14    aequatque summis infima.
15 Ubi nunc fidelis ossa Fabricii manent,
16    quid Brutus aut rigidus Cato ?
17 Signat superstes fama tenuis pauculis
18    inane nomen litteris.
19 Sed quod decora novimus vocabula
20    num scire consumptos datur ?
21 Jacetis ergo prorsus ignorabiles
22    nec fama notos efficit.
23 Quodsi putatis longius vitam trahi
24    mortalis aura nominis,
25 cum sera vobis rapiet hoc etiam dies
26    jam vos secunda mors manet.

LIBER II_CARMEN 8

C2_8

Quod mundus stabili fide
concordes variat vices,
quod pugnantia semina
foedus perpetuum tenent,
quod Phoebus roseum diem
curru provehit aureo,
ut, quas duxerit Hesperos
Phoebe noctibus imperet,
ut fluctus avidum mare
certo fine coerceat,
ne terris liceat vagis
latos tendere terminos,
hanc rerum seriem ligat
terras ac pelagus regens
et caelo imperitans amor.
Hic si frena remiserit,
quicquid nunc amat invicem,
bellum continuo geret,
et quam nunc socia fide
pulchris motibus incitant,
certent solvere machinam.
Hic sancto populos quoque
junctos foedere continet,
hic et conjugii sacrum
castis nectit amoribus,
hic fidis etiam sua
dictat jura sodalibus.
O felix hominum genus,
si vestros animos amor,
quo caelum regitur, regat !

LIBER III_CARMEN 1

C3_1

Qui serere ingenuum volet agrum
liberat arva prius fruticibus,
falce rubos filicemque resecat,
ut nova fruge gravis Ceres eat.
Dulcior est apium mage labor
si malus ora prius sapor edat.
Gratius astra nitent ubi Notus
desinit imbriferos dare sonos.
Lucifer ut tenebras pepulerit
pulchra dies roseos agit equos.
Tu quoque falsa tuens bona prius
incipe colla jugo retrahere :
vera dehinc animum subierint.

LIBER III_CARMEN 2

C3_2

Quantas rerum flectat habenas
natura potens, quibus immensum
legibus orbem provida servet
stringatque ligans inresoluto
singula nexu, placet arguto
fidibus lentis promere cantu.
Quamvis Poeni pulchra leones
vincula gestent manibusque datas
captent escas metuantque trucem
soliti verbera ferre magistrum,

11 si cruor horrida tinxerit ora,
12 resides olim redeunt animi
13 fremituque gravi meminere sui,
14 laxant nodis colla solutis
15 primusque lacer dente cruento
16 domitor rabidas imbuit iras.
17 Quae canit altis garrula ramis
18 ales caveae clauditur antro ;
19 huic licet inlita pocula melle
20 largasque dapes dulci studio
21 ludens hominum cura ministret,
22 si tamen arto saliens texto
23 nemorum gratas viderit umbras,
24 sparsas pedibus proterit escas,
25 silvas tantum maesta requirit,
26 silvas dulci voce susurrat.
27 Validis quondam viribus acta
28 pronum flectit virga cacumen ;
29 hanc si curvans dextra remisit,
30 recto spectat vertice caelum.
31 Cadit Hesperias Phoebus in undas,
32 sed secreto tramite rursus
33 currum solitos vertit ad ortus.
34 Repetunt proprios quaeque recursus
35 redituque suo singula gaudent
36 nec manet ulli traditus ordo
37 nisi quod fini junxerit ortum
38 stabilemque sui fecerit orbem.

LIBER III_CARMEN 3

C3_3 v.1 Quamvis fluente dives auri gurgite
2 non expleturas cogat avarus opes
3 oneretque bacis colla rubri litoris
4 ruraque centeno scindat opima bove,
5 nec cura mordax deserit superstitem
6 defunctumque leves non comitantur opes.

LIBER III_CARMEN 4

C3_4 v.1 Quamvis se Tyrio superbus ostro
2 comeret et niveis lapillis,
3 invisus tamen omnibus vigebat
4 luxuriae Nero saevientis ;
5 sed quondam dabat improbus verendis
6 patribus indecores curules.
7 Quis illos igitur putet beatos
8 quos miseri tribuunt honores ?

LIBER III_CARMEN 5

C3_5 v.1 Qui se volet esse potentem,
2 animos domet ille feroces
3 nec victa libidine colla
4 foedis summittat habenis.
5 Etenim licet Indica longe
6 tellus tua jura tremescat
7 et serviat ultima Thyle,
8 tamen atras pellere curas
9 miserasque fugare querelas
10 non posse potentia non est.

LIBER III_CARMEN 6

C3_6 v.1 Omne hominum genus in terris simili surgit ab ortu ;

2 unus enim rerum pater est, unus cuncta ministrat.
3 Ille dedit Phoebo radios, dedit et cornua lunae,
4 ille homines etiam terris dedit ut sidera caelo ;
5 hic clausit membris animos celsa sede petitos ;
6 mortales igitur cunctos edit nobile germen.
7 Quid genus et proavos strepitis ? Si primordia vestra
8 auctoremque deum spectes, nullus degener exstat,
9 ni vitiis pejora fovens proprium deserat ortum.

LIBER III_CARMEN 7

C3_7 v.1 Habet hoc voluptas omnis,
2 stimulis agit fruentes
3 apiumque par volantum,
4 ubi grata mella fudit,
5 fugit et nimis tenaci
6 ferit icta corda morsu.

LIBER III_CARMEN 8

C3_8 v.1 Eheu, quae miseros tramite devios
2 abducit ignorantia !
3 Non aurum in viridi quaeritis arbore
4 nec vite gemmas carpitis,
5 non altis laqueos montibus abditis
6 ut pisce ditetis dapes
7 nec vobis capreas si libeat sequi
8 Tyrrhena captatis vada.
9 Ipsos quin etiam fluctibus abditos
10 norunt recessus aequoris,
11 quae gemmis niveis unda feracior
12 vel quae rubentis purpurae
13 nec non quae tenero pisce vel asperis
14 praestent echinis litora.
15 Sed quonam lateat quod cupiunt bonum,
16 nescire caeci sustinent,
17 et, quod stelliferum transabiit polum,
18 tellure demersi petunt.
19 Quid dignum stolidis mentibus imprecer ?
20 Opes, honores ambiant
21 et, cum falsa gravi mole paraverint,
22 tum vera cognoscant bona.

LIBER III_CARMEN 9

C3_9 v.1 O qui perpetua mundum ratione gubernas,
2 terrarum caelique sator, qui tempus ab aevo
3 ire jubes stabilisque manens das cuncta moveri,
4 quem non externae pepulerunt fingere causae
5 materiae fluitantis opus, verum insita summi
6 forma boni, livore carens tu cuncta superno
7 ducis ab exemplo ; pulchrum pulcherrimus ipse
8 mundum mente gerens similique in imagine formans
9 perfectasque jubens perfectum absolvere partes.
10 Tu numeris elementa ligas, ut frigora flammis,
11 arida conveniant liquidis, ne purior ignis
12 evolet aut mersas deducant pondera terras.
13 Tu triplicis mediam naturae cuncta moventem
14 conectens animam per consona membra resolvis.
15 Quae cum secta duos motum glomeravit in orbes,
16 in semet reditura meat mentemque profundam
17 circuit et simili convertit imagine caelum.
18 Tu causis animas paribus vitasque minores
19 provehis et levibus sublimes curribus aptans

in caelum terramque seris, quas lege benigna
ad te conversas reduci facis igne reverti.
Da, pater, augustam menti conscendere sedem,
da fontem lustrare boni, da luce reperta
in te conspicuos animi defigere visus.
Dissice terrenae nebulas et pondera molis
atque tuo splendore mica ; tu namque serenum,
tu requies tranquilla piis, te cernere finis,
principium, vector, dux, semita, terminus idem.

### LIBER III_CARMEN 10

C3_10
Huc omnes pariter venite, capti,
quos fallax ligat improbis catenis
terrenas habitans libido mentes.
Haec erit vobis requies laborum,
hic portus placida manens quiete,
hoc patens unum miseris asylum.
Non quicquid Tagus aureis harenis
donat aut Hermus rutilante ripa
aut Indus calido propinquus orbi
candidis miscens virides lapillos,
illustrent aciem magisque caecos
in suas condunt animos tenebras.
Hoc, quicquid placet excitatque mentes,
infimis tellus aluit cavernis ;
splendor, quo regitur vigetque caelum,
vitat obscuras animae ruinas.
Hanc quisquis poterit notare lucem,
candidos Phoebi radios negabit.

### LIBER III_CARMEN 11

C3_11
Quisquis profunda mente vestigat verum
cupitque nullis ille deviis falli,
in se revolvat intimi lucem visus,
longosque in orbem cogat inflectens motus
animumque doceat, quicquid extra molitur,
suis retrusum possidere thesauris.
Dudum quod atra texit erroris nubes
lucebit ipso perspicacius Phoebo.
Non omne namque mente depulit lumen
obliviosam corpus invehens molem.
Haeret profecto semen introrsum veri,
quod excitatur ventilante doctrina.
Nam cur rogati sponte recta censetis,
ni mersus alto viveret fomes corde ?
Quodsi Platonis Musa personat verum,
quod quisque discit, immemor recordatur.

### LIBER III_CARMEN 12

C3_12
Felix, qui potuit boni
fontem visere lucidum,
felix, qui potuit gravis
terrae solvere vincula.
Quondam funera conjugis
vates Threicius gemens
postquam flebilibus modis
silvas currere, mobiles
amnes stare coegerat
junxitque intrepidum latus
saevis cerva leonibus
nec visum timuit lepus

jam cantu placidum canem,
cum flagrantior intima
fervor pectoris ureret
nec, qui cuncta subegerant,
mulcerent dominum modi,
immites superos querens
infernas adiit domos.
Illic blanda sonantibus
chordis carmina temperans,
quicquid praecipuis deae
matris fontibus hauserat,
quod luctus dabat impotens,
quod luctum geminans amor,
deflet Taenara commovens
et dulci veniam prece
umbrarum dominos rogat.
Stupet tergeminus novo
captus carmine janitor,
quae sontes agitant metu,
ultrices scelerum deae,
jam maestae lacrimis madent.
Non Ixionium caput
velox praecipitat rota,
et longa site perditus
spernit flumina Tantalus.
Vultur dum satur est modis,
non traxit Tityi jecur.
Tandem : "Vincimur." arbiter
umbrarum miserans ait,
"Donamus comitem viro
emptam carmine conjugem.
Sed lex dona coerceat,
ne, dum Tartara liquerit,
fas sit lumina flectere."
Quis legem det amantibus ?
Major lex amor est sibi.
Heu, noctis prope terminos
Orpheus Eurydicen suam
vidit, perdidit, occidit.
Vos haec fabula respicit,
quicumque in superum diem
mentem ducere quaeritis.
nam qui Tartareum in specus
victus lumina flexerit,
quicquid praecipuum trahit,
perdit, dum videt inferos.

LIBER IV_CARMEN 1

C4_1

Sunt etenim pennae volucres mihi,
quae celsa conscendant poli.
Quas sibi cum velox mens induit,
terras perosa despicit,
aeris immensi superat globum
nubesque postergum videt,
quique agili motu calet aetheris,
transcendit ignis verticem,
donec in astriferas surgat domos
Phoeboque conjungat vias
aut comitetur iter gelidi senis

miles corusci sideris
vel quocumque micans nox pingitur,
recurrat astri circulum.
Atque ubi jam exhausti fuerit satis
polum relinquat extimum
dorsaque velocis premat aetheris
compos verendi luminis.
Hic regum sceptrum dominus tenet
orbisque habenas temperat
et volucrem currum stabilis regit
rerum coruscus arbiter.
Huc te si reducem referat via
quam nunc requiris immemor,
haec, dices, memini, patria est mihi,
hinc ortus, hic sistam gradum.
Quodsi terrarum placeat tibi
noctem relictam visere,
quos miseri torvos populi timent
cernes tyrannos exsules.

## LIBER IV_CARMEN 2

C4_2
Quos vides sedere celsos solii culmine reges,
purpura claros nitente, saeptos tristibus armis,
ore torvo comminantes, rabie cordis anhelos,
detrahat si quis superbis vani tegmina cultus,
jam videbit intus artas dominos ferre catenas ;
hinc enim libido versat avidis corda venenis,
hinc flagellat ira mentem fluctus turbida tollens,
maeror aut captus fatigat aut spes lubrica torquet.
Ergo cum caput tot unum cernas ferre tyrannos,
non facit quod optat ipse, dominis pressus iniquis.

## LIBER IV_CARMEN 3

C4_3
Vela Neritii ducis
et vagas pelago rates
Eurus appulit insulae,
pulchra qua residens dea
solis edita semine
miscet hospitibus novis
tacta carmine pocula.
Quos ut in varios modos
vertit herbipotens manus,
hunc apri facies tegit,
ille Marmaricus Leo
dente crescit et unguibus.
Hic lupis nuper additus
flere dum parat ululat,
ille tigris ut Indica
tecta mitis obambulat.
Sed licet variis malis
numen Arcadis alitis
obsitum miserans ducem
peste solverit hospitis,
jam tamen mala remiges
ore pocula traxerant,
jam sues Cerealia
glande pabula verterant,
et nihil manet integrum
voce, corpore perditis.
Sola mens stabilis super
monstra quae patitur, gemit.

29 O levem nimium manum
30 nec potentia gramina,
31 membra quae valeant licet,
32 corda vertere non valent.
33 Intus est hominum vigor
34 arce conditus abdita.
35 Haec venena potentius
36 detrahunt hominem sibi
37 dira, quae penitus meant
38 nec nocentia corpori
39 mentis vulnere saeviunt.

LIBER IV_CARMEN 4

C4_4 v.1 Quid tantos juvat excitare motus
2 et propria fatum sollicitare manu ?
3 Si mortem petitis, propinquat ipsa
4 sponte sua volucres nec remoratur equos.
5 Quos serpens, leo, tigris, ursus, aper
6 dente petunt idem se tamen ense petunt.
7 An distant quia dissidentque mores,
8 injustas acies et fera bella movent
9 alternisque volunt perire telis ?
10 Non est justa satis saevitiae ratio.
11 Vis aptam meritis vicem referre :
12 dilige jure bonos et miseresce malis.

LIBER IV_CARMEN 5

C4_5 v.1 Si quis Arcturi sidera nescit
2 propinqua summo cardine labi,
3 cur regat tardus plaustra Bootes
4 mergatque seras aequore flammas,
5 cum nimis celeres explicet ortus,
6 legem stupebit aetheris alti.
7 Palleant plenae cornua lunae
8 infecta metis noctis opacae,
9 quaeque fulgenti texerat ore,
10 confusa Phoebe detegat astra ;
11 commovet gentes publicus error,
12 lassantque crebris pulsibus aera.
13 Nemo miratur flamina Cori
14 litus frementi tundere fluctu
15 nec nivis duram frigore molem
16 fervente Phoebi solvier aestu.
17 Hic enim causas cernere promptum est,
18 illic latentes pectora turbant.
19 Cuncta quae rara provehit aetas
20 stupetque subitis mobile vulgus ;
21 cedat inscitiae nubilus error,
22 cessent profecto mira videri !

LIBER IV_CARMEN 6

C4_6 v.1 Si vis celsi jura Tonantis
2 pura sollers cernere mente,
3 aspice summi culmina caeli ;
4 illic justo foedere rerum
5 veterem servant sidera pacem.
6 Non sol rutilo concitus igne
7 gelidum Phoebes impedit axem,
8 nec, quae summo vertice mundi
9 flectit rapidos Ursa meatus,
10 numquam occiduo lota profundo,

cetera cernens sidera mergi
cupit Oceano tinguere flammas.
Semper vicibus temporis aequis
Vesper seras nuntiat umbras
revehitque diem Lucifer almum.
Sic aeternos reficit cursus
alternus amor, sic astrigeris
bellum discors exsulat oris.
Haec concordia temperat aequis
elementa modis, ut pugnantia
vicibus cedant humida siccis
jungantque fidem frigora flammis,
pendulus ignis surgat in altum
terraeque graves pondere sidant.
His de causis vere tepenti
spirat florifer annus odores,
aestas cererem fervida siccat,
remeat pomis gravis autumnus,
hiemem defluus inrigat imber.
Haec temperies alit ac profert,
quicquid vitam spirat in orbe ;
eadem rapiens condit et aufert
obitu mergens orta supremo.
Sedet interea conditor altus
rerumque regens flectit habenas
rex et dominus, fons et origo,
lex et sapiens arbiter aequi,
et quae motu concitat ire,
sistit retrahens ac vaga firmat.
nam nisi rectos revocans itus
flexos iterum cogat in orbes,
quae nunc stabilis continet ordo
dissaepta suo fonte fatiscant.
Hic est cunctis communis amor
repetuntque boni fine teneri,
quia non aliter durare queant,
nisi converso rursus amore
refluant causae quae dedit esse.

## LIBER IV_CARMEN 7

C4_7

Bella bis quinis operatus annis
ultor Atrides Phrygiae ruinis
fratris amissos thalamos piavit ;
ille dum Graiae dare vela classi
optat et ventos redimit cruore,
exuit patrem miserumque tristis
foederat natae jugulum sacerdos.
Flevit amissos Ithacus sodales,
quos ferus vasto recubans in antro
mersit immani Polyphemus alvo.
Sed tamen caeco furibundus ore
gaudium maestis lacrimis rependit.
Herculem duri celebrant labores :
ille Centauros domuit superbos,
abstulit saevo spolium leoni
fixit et certis volucres sagittis,
poma cernenti rapuit draconi
aureo laevam gravior metallo,
Cerberum traxit triplici catena.
Victor immitem posuisse fertur
pabulum saevis dominum quadrigis,

Hydra combusto periit veneno,
fronte turpatus Achelous amnis
ora demersit pudibunda ripis.
Stravit Antaeum Libycis harenis,
Cacus Evandri satiavit iras,
quosque pressurus foret altus orbis,
saetiger spumis umeros notavit.
Ultimus caelum labor inreflexo
sustulit collo pretiumque rursus
ultimi caelum meruit laboris.
Ite nunc, fortes, ubi celsa magni
ducit exempli via. Cur inertes
terga nudatis ? Superata tellus
sidera donat.

## LIBER V_CARMEN 1

C5_1 Rupis Achaemeniae scopulis, ubi versa sequentum
pectoribus figit spicula pugna fugax,
Tigris et Euphrates uno se fonte resolvunt
et mox abjunctis dissociantur aquis.
Si coeant cursumque iterum revocentur in unum,
confluat alterni quod trahit unda vadi,
convenient puppes et vulsi flumine trunci
mixtaque fortuitos implicet unda modos ;
quos tamen ipsa vagos terrae declivia casus
gurgitis et lapsi defluus ordo regit.
Sic quae permissis fluitare videtur habenis
fors patitur frenos ipsaque lege meat.

## LIBER V_CARMEN 2

C5_2 "Pant Ephoran Kai Pant Epakouein"
puro clarum lumine Phoebum
melliflui canit oris Homerus ;
qui tamen intima viscera terrae
non valet aut pelagi radiorum
infirma perrumpere luce.
Haud sic magni conditor orbis.
Huic ex alto cuncta tuenti
nulla terrae mole resistunt,
non nox astris nubibus obstat.
Quae sint, quae fuerint veniantque,
uno mentis cernit in ictu.
Quem quia respicit omnia solus,
verum possis dicere solem.

## LIBER V_CARMEN 3

C5_3 Quaenam discors foedera rerum
causa resolvit ? Quis tanta deus
veris statuit bella duobus
ut quae carptim singula constent
eadem nolint mixta jugari ?
An nulla est discordia veris
semperque sibi certa cohaerent,
sed mens caecis obruta membris
nequit oppressi luminis igne
rerum tenues noscere nexus ?
Sed cur tanto flagrat amore
veri tectas reperire notas ?
Scitne quod appetit anxia nosse ?

Sed quis nota scire laborat ?
At si nescit, quid caeca petit ?
Quis enim quicquam nescius optet,
aut quis valeat nescita sequi,
quove inveniat ? Quis reppertam
queat ignarus noscere formam ?
An, cum mentem cerneret altam,
pariter summam et singula norat ?
Nunc membrorum condita nube
non in totum est oblita sui
summamque tenet singula perdens.
Igitur quisquis vera requirit,
neutro est habitu ; nam neque novit
nec penitus tamen omnia nescit,
sed quam retinens meminit, summam
consulit alte visa retractans,
ut servatis queat oblitas
     addere partes.

LIBER V_CARMEN 4

C5_4 Quondam porticus attulit
obscuros nimium senes,
qui sensus et imagines
e corporibus extimis
credant mentibus imprimi,
ut quondam celeri stilo
mos est aequore paginae,
quae nullas habeat notas,
pressas figere litteras.
Sed mens si propriis vigens
nihil motibus explicat,
sed tantum patiens jacet
notis subdita corporum
cassasque in speculi vicem
rerum reddit imagines,
unde haec sic animis viget
cernens omnia notio ?
Quae vis singula perspicit,
aut quae cognita dividit ?
Quae divisa recolligit
alternumque legens iter
nunc summis caput inserit,
nunc decedit in infima,
tum sese referens sibi
veris falsa redarguit ?
Haec est efficiens magis
longe causa potentior
quam quae materiae modo
impressas patitur notas.
Praecedit tamen excitans
ac vires animi movens
vivo in corpore passio
cum vel lux oculos ferit
vel vox auribus instrepit.
Tum mentis vigor excitus,
quas intus species tenet,
ad motus similes vocans
notis applicat exteris
introrsumque reconditis
formis miscet imagines.

LIBER V_CARMEN 5

C5_5

Quam variis terras animalia permeant figuris !
Namque alia extento sunt corpore pulveremque verrunt
continuumque trahunt vi pectoris incitata sulcum.
Sunt, quibus alarum levitas vaga verberetque ventos
et liquido longi spatia [imperat] aetheris volatu.
Haec pressisse solo vestigia gressibusque gaudent
vel virides campos transmittere vel subire silvas.
Quae variis videas licet omnia discrepare formis,
prona tamen facies hebetes valet ingravare sensus.
Unica gens hominum celsum levat altius cacumen,
atque levis recto stat corpore despicitque terras.
Haec, nisi terrenus male desipis, ammonet figura :
qui recto caelum vultu petis exserisque frontem,
in sublime feras animum quoque, ne gravata pessum
inferior sidat mens corpore celsius levato.